

PET. ANDREAE MATTHIOLI
ad medicæ materiae studiosos,

Præfatio.



I VELLE M eorum morem sequi, qui antequàm opus suum aggredi-
antur, illud in primis profitentur, nihil sibi maiori curæ ac studio esse,
quàm vt vitæ vsuique mortalium consulant, hoc ipse quoque ingenuè
facere possem. Nam ea animi propensione ab ipsa iuuentute, quantum
mihi otij ab artis medicæ exercitatione, & curâ familiari impetrare li-
cuit, id totum ad bonorû authorû libros euoluendos, ad simplicium me-
dicamentorum cognitionem assequendam, ac demum ad scribendum
contuli. Qua in re, vt certè apud omnes testatum relinquerem, me hac
mente animoq; elaborasse, vt quantum studio, labore, atque industria
consequi possem, humanæ vitæ prodessem, deq; ea optimè meritis existimarer, Dioscoridi om-
nem meam operam ac diligentiam adhibui, vt quantum in me esset, illustrior redderetur, atque om-
nium manibus tereretur. Ad quod ea mihi visa est ratio commodissima, vt ipsum Dioscoridem
in nostram Italicam linguam transferrem, in eumq; commentarios à nobis Italicè item cõscriptos
adijcerem. quòd tunc nos priuatim studium maiorq; cura subiret Italos adiuuandi, quàm cæteros.
Etenim pauci admodum sunt in Italia pharmacopolæ, ad quos tamen potissimum hæc de medica
materia tractatio spectat, qui Latinam linguam norint. Hoc opus, quod summa animi alacritate
susceperam, vbi absoluissem, emisi vel hortantibus amicis, vt quem fructum antea ex meis labo-
ribus mihi proposueram, eum postea mortalibus percipiendum, ac omnibus æstimandum exhi-
berem. Verùm an is talis fuerit, qualis vt esset, contenderam, malim aliorum esse iudicium, quàm
meum. Illud certò scio (si tamen id absque vitio nobis testari licet) à multis in Italia, quorum
iudicium cæteris omnibus antepono, eo animi candore scripta nostra æstimata ac commendata
fuisse, quo ipsi illa scripsimus, atque etiam Italis non inutilia, neque iniucunda fuisse. Quorum
sanè exemplo, deq; nostris commentarijs iudicio non potui non mihi ipsi gratulari, ac omnibus,
quibus illos legendos tradidimus. Accessit interea mihi non minor inde cupiditas externos quo-
que demerendi. eamq; cupiditatem illud auxit, quòd intellexerim ijs pergratum fore, si nostri com-
mentarij Latini fierent. Hac igitur ratione adductus, vt etiam ab externis gratiam aliquam inirem,
vtq; omnibus in vniuersum studio, cura, industriaq; meâ prodessem (quod ego quidem antiquum
semper habui, & præcipuum) nostros commentarios ex paruo, quod nobis superest otio, Lati-
nos reddendos atque illustrandos suscepi. Quo in opere quid præstiterim, planè ignoro. vos, in
quorum gratiam, tantum in eo laboris insumpsi, quòd iam absolutum quidem ipsum, sed mihi
non decoctum emitto, legendo iudicabitis. Neque aliud ab omnibus petitum velim, quàm vt hos
nostros commentarios ea animi synceritate, & æquitate æstiment, qua suos ab alijs æstimari & per-
pendi vellent: vel qua ipsi aggressi sumus illos conscribere. Nam etsi multorum eruditorum sen-
tentias refellere ausus sum, atque non pauca fortasse nimis acriter insequi, corrupta scilicet, quæ in-
doctorum pertinacia nunquam satis explodi possunt; id tamen eo consilio feci, vt quantum inge-
nio perficere, quantum mente elaborare, quantum denique iudicij in re medica ex studijs, labori-
bus, ac vigilijs mihi comparare potui, liberè in publicum ad mortalitatis fructum & vtilitatem
proferrem. Sed certè in hoc longius, quàm statueram, digressa est oratio nostra: eò enim (nescio
quo modo) irrepsit, vt partem aliquam aperirem nostri scribendi instituti. Quod tamen non pro-
fus alienum fuisset, nisi eius consilij ratio cum alibi, tum præcipuè superius in epistola nuncupa-
toria à nobis latius exposita esset, atque à pluribus, opinor, comprobata, quàm vt hoc loco pau-
cis attingi debuisset. Quare iam ad id nobis accedendum est, quod in primis medicæ materiae stu-
diosos admonendos esse putamus, vtpote quod nonnihil priuatim ad rem presentis operis facere
videatur. Cùm enim ab eo tria potissimum comprehendantur, Dioscoridis contextus, nostri in
eum commentarij, & plantarum imagines, de singulis aliqua nobis reddenda ratio est, vt qualem
me in vnoquoque gesserim, quod confitendum sit, non dissimulem. De contextu itaque Diosco-
ridis, quem nequaquam prætermittendum censuimus, ob plures causas, quas hîc referre nimis lon-
gum esset, quæret aliquis, cur Ioannis Ruellij Galli medici eruditissimi interpretationem prætulerim,
dignamq; existimauerim, quæ præ cæteris in nostris commentarijs legatur; cùm tamen duo
alij viri summi pariter & doctissimi, Hermolaus Barbarus, & Marcellus Virgilius Florentinus in
idem studium nauiter incubuerint. Fateor ingenuè me Ruellij versionem secutum esse, sed non
propterea aliorum præclaros conatus contempsisse vnquam: quin potius vtriusque studium sem-
per admiratum, quippe quòd vterque in eo maximam laudem promeruerit. Illud autem me ma-
gis mouit, vt Ruellium admiserim, quòd eius conuersio omnibus facta sit vulgatiore, ac frequen-
tior

tior in studiosorum manibus versetur. Adde etiam, quod hæc communi omnium ferè, medicorum præfertim, iudicio præferatur; cui nimirum nobis quoque libuit subscribere. Non tamen illud me certè latuit, Ruellium nimis fortè in ea religiosum fuisse. quippe qui interdum maluerit ipsum Dioscoridem deserere, quàm Plinium, modò Latini sermonis nitore captus, modò etià rei cognitione incertus. Quæ re à nobis perspecta, Ruellij quidem interpretationem recepi, ita tamen ut nonnusquam ausus sim ab eo desiscere, vel vetustissimorum probatissimorumq; exemplarium, & vnius Oribasij codicis fidem secutus, vel certa rei experientia fretus. Eorum autem quæ immutavi, nonnulla obelisco adnotata reliqui, nonnullis etiam signum suppressimus. Sanè plura eiusmodi, pluresq; insuper varias lectiones exhibuissem, si maius otium & tempus nobis superpetisset. quæ tamen, Deo concedente, aliquando ad communem vtilitatem, & ampliorem medicæ materiæ disquirendæ campum, dabuntur. Hinc factum est, ut Ruellij nomen contextui præscribendum non duxerim, ne viderer cum eo nomine conuenire, re autem sæpe ab eo dissentire. Satis enim fore putavi, si hic studiosos certiores facerem, me Ruellio Dioscoridis conuersionem acceptam referre: si præterea rationem reddidissem, cur illi non semper addictus esse vulerim. Quod quia abunde, ut arbitror, præstitimus, iam ad alterum nobis propositum, quod de nostris commentarijs erat, progrediamur. De quibus profectò mihi melius esset tacere, quàm pauca dicere, si vellem nasutulis & vitilitigatoribus occurrere. Frequens nanque hodie est, indiesq; magis pullulat huiusmodi genus hominum in Italia (nescio quid fiat in alijs regionibus) qui nullum in toto uitæ suæ cursu fructum seménue proferunt, alienos tamen auidè carpunt, mox lacerant, & pedibus obterunt. Sed hos nunc missos faciam: alius enim locus, aliud studiorum nostrorum otium postulabit, ut cum ijs sermonem conferamus, vel eos ab hac mala mente deterrendi, vel ad sua quoque profèrenda excitandi causa. Verùm ad candidos, & æquos, quibus hæc scribimus, nostra sese conuertat oratio. Neminem velim moueat, lectores optimi, nec id à nobis factum quifquam admiretur, si nobis nostris secundò auctis commentarijs, velut & in prioribus, me inueniat plantas aliquas non incognitas prodidisse, tam quarum meminit Dioscorides, quàm quæ à nobis adiectæ sunt, neque tamen earum imagines pictura expressisse. Hoc (mehercule) factum est, non solùm quod plantæ nobis cognitæ, dum eas depingi curarem, non omnes nobis in promptu essent, sed quod etiam deessent sculptores, qui pictas iam in tabulis plantas inciderent. His accessit magna negotiorum moles, quæ studia nostra adeò impediunt, ut nullus ferè fuerit reliquus lucubranda locus. Siquidem posteaquàm à Serenissimo Romanorum Rege Ferdinando in eius Serenissimi filij Ferdinandi Archiducis Austriae Medicum ascitus sum, quum non solùm quotidie præter opinionem multa emergant negotia, ut medicis quibuscunque aulicis plurimum euenire solet, & longa quandoque itinera sese offerant, & bella quò Medicos suos oporteat sequi Principes; factum sanè est, quum hæc omnia exequi me oportuerit, ut hisce negotijs impeditus, non potuerim per omnia, & vobis, & mihi satisfacere. Atqui non nobis parum fecisse videmur, si inter tot aulica, & bellica incommoda, ingrauescente admodum etiam ætate, commentarios nostros vobis nunc damus, non solùm sexcentis ferè locis auctos, sed quàm plurimis plantarum, & animalium imaginibus insignitos, de quibus nos in iisdem commentarijs speciatim diseruimus, quin etiam quibusdam, de quibus egit Dioscorides, quæ in priori editione non habentur. Quæ uerò nunc omnissimus cogentibus causis præscriptis, ea fortàsè aliquandò prodemus, nisi quid nobis humanitus accidat. Nec pigebit vnquam, si fortè fortuna successiuas aliquas horas nactus ero, quin totum id temporis in uestrum, & totius reipublicæ impendam commodum. Cæterum, ut de imaginibus quoque seorsum aliquid dicam, equidem aliàs abhorruì ab hoc dicendi genere, ratus neminem vnquam posse ex iconibus tam ueram, & exactam simplicium medicamentorum peritiam assequi, ut eorum uarietas possit vnica pictura comprehendi. Siquidem non ea est pullulanti herbæ facies, quæ adultæ, neque adultæ, quæ iam senescenti. Quòd si eiusmodi herbarum mutationes omnes singulis picturis deberent repræsentari, quis dubitet id opus futurum infiniti laboris, ac immensè sumptus? Verum enim uerò quum vidissem tales aliorum conatus ab omnibus propemodum commendari, atque in dies crescere studium virorum rerum effigies in publicum edentium, ne solus viderer in diuersam ire sententiam, re ipsa tandem melius perpensa, & aliter comperta, ac aliud docente ipsa experientia, nolui huic optimo, & minimè infrugifero deesse studio. Huc accedebat, quod non mediocriter ad hoc me incitaret, Typographi cuiusdam Mantuani vanitas, qui nostris operibus Italicè prius editis furtim quasdam inseruerat imagines minimè à nobis adiunctas, quæ quoduis potius, quàm rem ipsam referrent. Gaudebam id adhuc me superflite contigisse, ut turpem notam falsò mihi inustam ipsè delerem. Ideò ut & aliorum conatus, adiuuarem, & malitiosi huiusce calcographi temeritati occurrerem, ipse quoque experiri volui, si quid hac in re præstare possem, non tantùm, ut mea in medium proferrem, sed & ut de vobis studiosis, si possem, benemerer. Sed quàm res hæc nobis difficilis fuerit, non est, quòd pluribus explicem. omnes enim sciunt, quàm difficilè inueniantur homines, qui res ipsas, ita ut sunt, ad viuum depingant, & qui depictas diligenter insculpant. Quorum maior adhuc inopia est, id quod etiam facilè dijudicabitis studiosi, qui in hoc opere nonnullas effigies affabrè fatis, nonnullas uerò non fatis solerter sculptas offendetis.

Cornarij opinio explorata.

detis. Sanè quod in rem communem nauare potui, licet illud exiguum esse intelligam, in eo non commisi, ut meum studium, opera, aut diligentia à uobis desideretur. Quid autem profecerim nescio, vestrum erit iudicium. Sed longè aliter quàm nos uidetur fecisse Cornarius, vir alioqui in utraque lingua doctissimus, & qui inter omnes alios fortè singularis haberi uelit. Is enim suo in Dioscoride, quem nunc primùm uertit, & emblematibus quibusdam auxit, non solùm nullas appinxit imagines, sed eos etiam acriter damnat, qui eas suis inferuerunt commentarijs. Sed an liuore potius, uel ratione ductus, uos iudices esse uelim, si quandoque illius boni uiri legeritis præfationem, & eius animum diligenter explorabitis. Nam etsi Galeno dictum sit (id quod & nos ante Cornarium scripsimus) plantarum imagines parum conferre ad earum indagandam cognitionem, non tamen ob hoc accusandi sunt, qui plantarum, & animalium icones in suos conferunt libros. Quippè quoniam nusquàm inuenerim damnasse Galenum plantarum imagines, que in libris appingi solent, sed eos, qui existimant se rei plantariæ peritissimos euadere posse, non solùm imaginum inspectione, sed & librorum quorùcunque lectione, licet fuerint ij à summis, grauissimisq; authoribus conscripti. Quamobrem non parum mirari subit, Cornarium alioqui uirum apprimè doctum Galeni uerba non modò non intellexisse, sed in reprobum quoque distraxisse sensum. Quo fit, ut hinc facilè suspicari quis possit, quòd quum uiderit Cornarius omnium ultimus Dioscoridis interpres, nullum sibi reliquum iam esse locum, quòd noui aliquid de plantarum imaginibus afferre potuerit, id sibi consilij ascuuisse, ut eos acriter detestaretur, qui plantarum picturas in suis libris habent, ratus fortassè hoc detestandi genere, non solùm plurimum sibi laudis comparare, sed etiam suum obtegere infortunium, suamq; (quod eius pace dicam) in plantarum historia imperitiam. Quæ enim sit alia ratio, cur aliorum damnat industriam & quasi posteris non sit id licitum, ut & ipsi aliquid suo ingenio, & studio excogitèt, quod ab antiquis arte nõ sit animaduersum. At nõ damnasse Galenum plantarum imagines, nec libros de plantarum historia conscriptos, sed eos, qui horum tantùm inspectione posse quenquam rei plantariæ fieri peritum crediderant, id manifesto fuerit argumento, quòd ipsemet Galenus libro primo de alimentorum facultatibus posteritatis memoria prodidit, cum inquit, Comparatos nobis esse hosce libros, ut nobis sint eorum, quæ antè didicimus monumenta, non ut rudes & ignari per illos doctrinam perfectam assequantur. Quòd si qui sint qui præceptoribus careant, uelintq; ijs, quæ luculentè ac copiosè sunt scripta diligenter incumbere, magnum indè fructum eos accepturos testatur idem Galenus, præsertim si ea relegere non grauentur. Quibus palàm est longè magis detestandos esse eos, qui clarissimorum hominum laboribus inuidentes, nil aliud, quàm blaterare, ac carpere sciunt, quàm eos, qui reipublicæ commodis semper prodesse cupientes, nil aliud agunt, quàm ut boni semper aliquid, & noui in publicum usum promant. At qua re imagines, & non libros damnauerit Cornarius, cum non minus ex Galeni sententia eorum lectione, quàm imaginum inspectione, quis neutiquam proficere ualeat, non satis animaduerto. Cur tantum laboris, si nihil profuerit, in uertendo Dioscoride adiectis etiam emblematibus incassum suscepit? Hòcne ei erat studium, huncne capiebat animum, ut in uanum laboraret? Porrò nil aliud uobis dandum, dicendumq; superest. Spero tamen ab ijs, qui grati sunt (ingratos, maleuolos, ac inuidos nihil sanè moror) me gratiam initurum, quandoquidem mihi communis utilitatis cupidissimo hoc opus non aggrediendi uoluntas defuerit, sed perficiendi facultas, quam tamen omni studio consequi assiduè conamur. Bene ualete, & nostra boni consulite.

Cornarius notatur.

Vincentius Valgrifus Candido Lectori S,



PRESAGIT mihi animus, candidè Lector, multos fore, qui uno ore institutum hoc meum damnent, & iam odiosas eorum uoces audire mihi uideor, qui coniuratis animis aduersum me nouum querele genus instituât, Perperam enim & ineptè me facere, qui hosce Matthioli Commentarios toties excussos, toties interpolatos mutatis non solùm plantarum imaginibus, uerùm etiam additis plerisque rursus in publicum emittam, meq; in causa esse, ut studiosi bonarum artium tot inanes, & superuacaneos sumptus faciant. Porrò longè fatius fuisse, si in aliquot annos editionem distulissim. Quis enim ambigat authorem ipsum hoc temporis spacio plenis (quod aiunt) uiribus ad eam rem fuisse accessurum, & summam manum tanquam Colophonem semel absoluto operi impositurum. Nunc uerò nihil aliud à nobis agi, quam quòd nouis subindè editionibus eos obruimus, ut eò speciosius ab ipsis pecunias extorqueamus. Hæc & similia de me fortassè aliqui. Quibus quid est quod interim respondeam, nisi quòd conatus hic noster eorum gratia non suscipitur, quos auaritiæ studium transuersos agit? Ab his enim tantum abest, ut lucellum